



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

6. Decembris. Vt anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum, necesse est, tendat, inquam inimicus tentat pertrahere. S. Ignat. in Exerc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Si superior subditum timeat, si ei placere satagat, frænum perdidit; tum enim, non quid rei æquitas, sed quid subditi cupiditas exigat, attendit; & perverso planè ordine, qui præesse debebat, servus efficitur.

Nisi fortè condescendendum aliquando ægro videatur; qui tractandus est molliùs, ne intra manus duriores plenè succumbat; in quo ut laudanda superioris discretio, sic vituperanda subditi est pervicacia.

6. Decembris.

Ut anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum, necesse est, tendat, in quam inimicus tentat pertrahere. S. Ignat. in Exerc.

Qui ab impetu rapidi fluminis in syrtibus non vult abripi, huic contra torrentem viribus omnibus nitendum est; cui si cedat, de navi, de fortunis, de vita est conelamatum; vel enim allidetur in cautes, vel à gurgite haurietur.

Nunquam paciscendum cum eo hoste fœdus, qui est implacabilis, cuius omnis cura, nostra est perditio. Quidquid molli-

litur ille, in nostri perniciem molitur. Tu consiliis ejus semper esto contrarius.

Vivendum est in armis; nunquam hæc ponenda sunt; nullum ibi crede fore armistitium, ubi diu, noctûque in tua vigilat damna inimicus, nunquam non machinas admoveret allectrices. Has fugisse, vicisse est.

Qui procul à Jove, procul est à fulmine; quantò remotior abis à suggestionibus inimici, tantò certius tua vitas pericula; præstat perire non posse, quàm hosti colludere. Fuge? salvaberis.

7. Decembris.

Hostis ille noster nullâ re magis charitatem extinguit, quàm immodico, & inconsiderato in virtute progressu. S. Ignat. epist. ad Hispan.

UT saburra contra ventorum levitatem navem munit, mergit immodica; ut oleum, si moderatè affluat, flammam alit; extinguit, si absque mensura affundatur; ita moderatio virtutis est parens, indiscretio verò noverca.

Sæpe putatur pietatis, qui superbix paratus est, latentis quidem sub specie fervoris,

Qs

ris,